

Johann Friedrich Schomer

**Lenta Pacis Consilia, Violentibus Belli Remediis Præferenda : Programma Qvo
Ad III. Orationes Solennes De Felicitate Populi Sub Principe Bella Consiliis
Remorante A Totidem Lycei Wismar. Alumnis Ad Diem [] Augusti A. R. S.
MDCCXXXI. ... Observanter Invitat**

Wismariæ: Typis Zanderianis, [1731]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1698113633>

Druck Freier  Zugang





T. 365.

~~A-1262.~~⁷

Q. D. B. V.

LENTA PACIS CONSI-
LIA, VIOLENTIBUS
BELLI REMEDIIS PRÆ-
FERENDA

PROGRAMMA

QVO

AD III. ORATIONES
SOLENNES

DE

FELICITATE POPULI SUB PRINCE
PE BELLA CONSILIIS REMO-
RANTE

A TOTIDEM LYCEI WISMAR. ALUMNIS

AD DIEM AUGUSTI A. R. S. MDCCXXXI.

EX LEGATO B. SAM. PETERSENII

HABENDAS

MAECENATES PATRONOS, FAU-

TORES LITERARUM AMANTES O. O. H.

OBSERVANTER INVITAT

M. JO. FRID. SCHOMERUS

LYC. WISMAR. RECTOR.



WISMAR. LÆ.
TYPIS ZANDERIANIS.

M. 1262⁷



Consultationem sacrum quid,
verissime quondam dixit PLATO: (a)
Hoc ipso siquidem citra omne dubium,
non se solum maxima in consiliis capiendis
uti animi attentione, demonstratum dare,
sed et omnes in univ[er]sum homines admo-
nere voluit, ad consilium tum dandum,
tum accipiendum, pari pietate, prudentia, et circumspectione ut
se accingerent, quam ad sacra obeunda religio et divini Numinis
reverentia requirere videretur. Nec alia crediderim ratione mo-
tum pronunciasse Philosophum: consultari divinisimum est eo-
rum, quæ inter homines. (b) Cum enim supremum, quod om-
nia moderatur Numen, infinita licet ipsius sit sapientia, qua non
præsentia solum, sed et futura quælibet exactissime cognoscit, in re-
bus majoris momenti producendis, aut perficiendis, deliberationem
quasi, cognitionem et dijudicationem effectis præmittat, quanto
magis homines, quorum sapientia, cum divina comparata, sordet, et
fere stultitia dicenda, nullum gravius negotium, sine matura delibe-
ratione, decet suscipere. Quod si igitur in deliberationibus insti-
tuendis, capiendisque consiliis, sanctissimum et immortalem Deum
imitantur mortales, consultationem profecto cum Platone sacrum
quiddam, et cum Aristotele divinisimum inter homines poterimus
appellare.

Quemadmodum vero in sacris nihil inconsiderate, nihil præci-
pitanter, nihil tumultuaria opera, sed omnia considerate, lente, ac
mora nonnunquam interposita sunt peragenda, id quod gentes eti-
am observasse, literarum testantur monumenta: Ita quoque in
deliberationibus nihil temere aut festinantius agendum, nec, quod
festinatio improvida est, subito ad consilium aliquod descendendum;
quin potius, antequam ad quidquam agendum accedas, lenta et matura
opus est deliberatione. Verum enim vero, hac in re non scopia-
rum Duces solum, quibus procrastinatio in bello odiosa, quippe
quod celeritatis maxime indigere ipsis videtur; sed et togatæ, militiæ
Administri et Consilarii, diversum quid sapius sentiunt, quare operæ
pre-

pretium videtur disquirere: utrum violenta belli remedia, lentis de pace consiliis sint preferenda?

Occasionem huic quaestioni dedit DIDACUS SAAVEDRA, (c) è nobili Hispanorum familia oriundus, Purpurato BORGIAE ab Epistolis, vir admodum ingeniosus, multae lectionis, gravissimiq; iudicii, qui in *Idea Principis Christiano-Politici* Germanos accusat, ut in agendo tardos et segnes, in capiendis consiliis minus circumspectos, inconstantes, et ob lenta consilia aliquoties male multatos. Verba ipsius, quoniam auctor non in omnium manibus versatur, integra huc transcribam: *Itali melius ex utroque commodum aliquid norunt capere, utendo occasionibus, quando se offerunt, contra ac Germani, qui in agendo tardi, et segnes in executione, tempus praesens solum in consilium adhibent, nulla praeteriti ac futuri habitatione: Pro eventuum varietate mutant et ipsi animum; unde factum, ut fortunam suam non valde auxerint, cum aliqui ejusmodi sit Natio, quae ob innatam animi fortitudinem, dominia sua longe lateq; posset extendere. In eandem causam referri potest diuturnitas bellorum civilium, quibus etiamnum hodie conflictatur imperium, quae constanti aliquo consilio ac celeritate sapi jam pridem potuissent, verum ob consilia lenta, quae pro prudentibus tamen habebantur, ingentes ad Rhenum vidimus exercitus, qui in Franciam usq; penetrare potuissent, eamq; ad pacem universalem faciendam compellere, quod damnum gravius fuit, quam si ab hoste cæsi fuissent sapius, nulla enim clades major, quam si exercitus aliquis in se ipso sensim intereat. Ea ipsa res proprias vastavit Provincias, et loca confinia, per quae bellum alio transferri debuisset, nunc vero in ipsa Germania viscera immigravit.*

Longum et à scopo proposito alienum foret, omnia hæc ad vivum refecare aut in singula, quæ hic notanda veniunt rigidam censuram exercere. Forte non erraverim, si contendero, SAAVEDRAM natione Hispanum, quibus in exteris raro aliquid, nisi quod ipsorum moribus convenit, rectum videtur, expertem fuisse in quo rerum articulo Germaniam tum deprehenderit fortuna. Sed cum facta demortuorum, in iudicio amoris, ubi quilibet praesumitur bonus, do-

ncc

nec contrarium probetur, discutienda, non dixerim virum hunc deliberato studio, in Germanorum contumeliam, hæcce literis consignasse, alias graviori dignus foret censura; Jam vero tempore quædam condonanda erunt, quæ si respicimus, incidit vita hujus SAAVEDRÆ anno 1648. extincti, in tempora fatalis illius belli tricennalis, quod Germaniam non misere vexavit solum, sed et vastavit. In tam igitur misero rerum Germanicarum articulo, ubi caput et membra imperii à se invicem dissidebant maxime, et ut ita dicam, in viscera sæviebant sua, mirum non est, si consultationes et deliberationes tardatæ, interdum etiam interruptæ, capta vero consilia, et decretorum executio, tardiores adhuc habuere progressum, id quod in imperio ad Aristocraticum proxime accedente, eo facilius accidere potuit.

Ex eo autem, quod tum factum, constantem Germanorum morem colligere, aut semper ita fieri, concludere, nec potuisset, nec debuisset SAAVEDRA. Proinde ab omni præcipitata sententiæ, ac immaturi iudicii culpa, absolvendus non est, cum nulla limitatione adjecta, tarditatem consiliorum in Germanis arguit, et lenta eorundem consilia vituperat. Quilibet enim vel mediocri rationis usu pollens, hoc facile largietur, deliberationes et consilia, ex numero illarum esse rerum, quæ, ob utilitatem suam, maxime sunt necessaria, et hinc ob summam necessitatem suam, nullo unquam tempore seponenda, sed quibusvis potius actionibus præmittenda.

De hujus sententiæ nostræ, si cui dubium oriatur, veritate, illum ad Carthaginienses, Barbaros quondam Africæ populos, ablegatum volumus. Hi, licet bella sæpius multis in locis non anticipato consilio, sed incidentibus inopinatis rebus administrari, usu et longa bellorum experientia cognitum atque perspectum haberent, nihil tamen ad bellum æque ac consilium putabant necessarium, adeo, ut belli Duces suos, si quando posthabita deliberatione, aut pravo consilio, bella gessissent, etiamsi prospera subsequuta esset fortuna, cruci tamen suffigerent, quod bene gesserant, Deorum immortalium adjutorio, quod male commiserant, ipsorum culpæ imputantes, uti perhibet VALERIUS MAXIMUS. (d) Quam ob rem et hostilitatem adversus suos Carthaginensibus tribuit SENECA. (e) Qvi-

qvi-

bus unicum addam CRISPI-SALUSTII iudicium, qui (f) omnem Reipublicæ felicitatem ex deliberationibus et consiliis pendere affirmat. Cum Ego, scribit, in vita multa legendo et audiendo ita comperi, omnia regna, civitates, nationes, usque eo prosperum habuisse imperium, dum apud eos consilia valuerunt. Ecquis igitur prudens et circumspectus rerum aestimator, affirmare auit, tantæ utilitatis, sumæque necessitatis negotium, quæ consultatio, temere accelerandum. Quis nos potius deliberandum diu esse, quod semel statuendum, ne facti tandem nos nostri, verum nimis sero poeniteat, cum PUBLIO SYRO confitebitur.

Id quod de consiliis ac deliberationibus in genere obtinet, de consultationibus, pacis gratia institutis, non poterit non valere. Siquidem nullum datur nobilius, nullum suavius, nullum utilius deliberationis Objectum, amoenissima pace. Quippe quæ bella, quamvis magna, quamvis diuturna, tandem finienda, quæ ipsa finis et scopus omnium bellorum, cuius nomen dulce, res vero ipsa cum jucunda tum salutaris, ut cum CICERONE (g) loquar. quamobrem pax optima rerum, quæ homini novisse datum est, pax una triumphis innumeris potior, dicitur à SILIO. (h) Nec immerito, pax enim boni omnis effectrix, juris, iustitiæ, legum, omniumque adeo commodorum, quæ in vita mortali expetenda sunt, conservatrix; ad pacis mentionem, animi quantumvis feroces antea, relaxantur, et bello minus intenti, vires etiam et nervos ejus gerendi amittunt; ea urbes florent, mercatores ditescunt negotiatio crescit et publica civium securitas; cum sine periculo aut remora quisque suum vivendi sequitur institutum. Verba sunt JACOBI. I. Magn. Britan. Regis. (i)

Et quis omnia divinæ pacis commoda percensere, aut intra angustos plagulæ limites poterit comprehendere, hinc etiam Pax, ita deamata fuit Ciceroni, ut et injustam pacem iustissimo bello dixerit preferendam. (k) Bellum, quippe e numero earum rerum est, ubi non adventus solum sed etiam metus ipse affert calamitatem. Nam cum hostium copiae non longe absint, etiamsi irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit, ut ait idem CICERO. (l) Bellum camarina quædam malorum est, ac tantum miseriæ cumulum secum volvit, ut

in

in altissima turri positus, ejus finem non possis contemplari. Audiamus CÆSAREM Romæ in Consilio P. C. verba facientem: Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, compositæ atq; magnifice casum Reipublica miserati sunt, quæ belli sævitia esset, quæ victis acciderent, enumerare; rapi virgines, pueros; divelli liberos a Parentum compellu, matres familiarum pati, quæ victoribus collibuisse, fana atq; domos exspoliari, cadem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore atq; luctu omnia compleri, referente SALUSTIO. (m)

Omnia hæc debentur violentibus belli remediis, ferro, flammæ, telis, et qui hæc ingerunt militibus, quos pro facundia sua egregie depictos sistit ERASMUS ROTERODAMUS: (n) Quæso te, cogita per quos geritur [bellum] per homicidas, per incestos, per aleatores, per stupratores, per sordidissimos conductitios milites, quibus lucellum carius est vita: hi in bello sunt optimi, cum quod ante suo faciebant periculo, hic mercede faciant et cum laude. Hæc hominum colluvies in agros, in urbes recipienda, ut bellum geras. Denique his serviendum, dum alium ulcisci volumus. Adde nunc quot facinora belli prætextu committantur, dum inter arma silent leges bonæ, quot sacrilegia, quot raptus, quot alia dedecora, quæ pudet etiam nominare. Hæc pestis morum in multos annos duret necesse est, etiam extincto bello.

Licet igitur adeo violenta belli sint media, fulminis instar obvia quæque deficientia, nihilo tamen secius, festinationem etiam in illis vitandam præcipiunt, optimi prudentiæ bellicæ Doctores, [o] nixi cum exemplo QVINTI FABII, qui: Primus fulmineum, lento cunctamine Poenum oppressit. Et effato OCTAVIANI CÆSARIS AUGUSTI, qui nihil minus in perfectio Duce, quam festinationem, temeritatemque convenire arbitrabatur, juxta SVETONIUM; [p] tum rationibus, quod summa rerum exinde pendeat, quod peccet pene necessario qui festinat, quod errata belli præter æternum dedecus, vulnera et mortem, everisiones rerum subsequantur, quod non liceat bis peccare in bello, sed præliorum delicta emendationem non recipiant, juxta CATONEM, et in emendabilis error sit, qui violentia

tia Martis committitur, secundum VALERIUM MAXIMUM. (q)

Si vero bella non temere gerenda, quoniam ex iis summa rerum pendet, et festinatio prohibet, quo minus omnia accurate circumspiciantur, multo minus, consilia de pace deferenda, belloque inchoando acceleranda erunt, quod illis tranquillus Reipublicæ status, in turbulentum mutatur, incertoque præliorum eventui omnia committuntur.

Valeat itaque SAAVEDRA, pro superbo suo Hispanis communi ingenio, Germanos accusans, quod lenta consilia inique pro prudentibus habeant, indeque gravissimo sapius damno fuerint affecti. Maximis nos contra illum iudicibus tuemur, sententia nostra placuit et placet adhuc Augustissimis Romanorum Imperatoribus, quorum OCTAVIANUS AUGUSTUS Symbolo suo: *Festina lente* nobis assentitur. CAROLUS V. prudentissimo effato suo: *Cunctationem animam Consilii esse, celeritatem executionis, utramque simul junctam esse quintam essentiam boni Principis*, (r) lenta consilia commendavit. Augustissimus denique CAROLUS VI qui in hunc usque diem (: faxis summus rerum arbiter Deus, adhuc diutissime :) fasces Imperii tenet, aliquot jam vicibus, se lenta pacis consilia violentibus bellorum remediis ante ferre, ipso facto demonstravit. Loquuntur id novissimæ ipsius cum Hispanis transactiones quibus auream pacem Germaniæ conservavit, cum alias periculossima belli flamma, jam jam imminere visa, quod Hispanus, Gallus, Britannus, et Batavus fœdere juncti essent, latissime spargere potuisset incendium. Jungam his, potentissimum Svecorum Regem et Landgravium Hassiæ, FRIDERICUM (: quem in itinere constitutum, ducat et reducat Deus, et ad Nestoreos usque annos superstitem esse jubeat) sub cujus umbra et tutamine alta pace fruimur. Hic licet juvenis, egregiæ virtutis et incomparabilis plane fortitudinis, plurima, in bello adversus Gallos, dederit documenta, ex eo tamen, quo Svecorum Diademate cinctus fuit, ex nominis omne pacis amantissimum se præbuit.

Hanc nostram agnoscamus felicitatem decet, quare cum ex Legato B. SAM. PETERSENII, Actus quidam Oratorius publice habendus esset, justum visum fuit, discipulis præscribere, ut de *felicitate Populi sub Principe bella consiliis remorante*, verba facerent. Tres itaque optimæ spei juvenes, primæ Classis Alumni in hoc ingeni-

1117

um exercuerunt, suamque nobis probabunt industriam, quorum primus qui scenam aperiet.

CAROLUS FRIDERICUS HILDEBRANDT. Itzehoa Cimber. Felicitatem Populi sub istiusmodi Principe describet, calamitates belli et commoda pacis inter se conferendo. Secundus.

JOH. BENJAMIN WIEZ. Wismar: Megap. Deliberationes et Consilia publicam felicitatem morari, conquisitis rationibus evincere conabitur. denique.

JOH. GEORG. LENTZ Metelen. Megap. Deliberationes felicitatem Reipublicæ nullo modo morari, sed promovere potius liquido demonstrabit.

Hinc nunc juvenes, ut attente benevoleque audiantur, unice in votis habent. Quamobrem me Interprete, vestram Mæcenates, Patroni, Fautores literarum amantes, O. O. H. præsentiam humillime ac decenter expetunt. Date igitur mihi, date juvenibus, date Musis hanc gratiam, ut crastina luce, paulo ante horam IX. matutinam, frequentes adesce, et exoptatissima præsentia vestra, Actum hunc illustriorem reddere velitis. Nos certe vestrum hunc favorem ac benevolentiam, in nostræ felicitatis partem numerabimus.

(a) Apud Platonem in Theage post. pr. (b) Aristotel. Rhetoricorum ad Alexandr. c. I circa med. (c) Didacus Saavedra in Idea Principis Christiano-Politici. Symb. LXXXV. p. m. 677. seqq. (d) Val. Max. de dictis & factis memorabilibus Lib. II. C. VII. extern. Exempl. I. p. m. 85. (e) Seneca in Fin. Lib. de Otio sapientum. (f) Salustius in Orat. II. ad C. Cæsarem de Republ. ord. p. m. 101. edit. Lugd. Batav. 1634. (g) Cic. Orat. Philip. XIII in princ. p. m. 2666. (h) Silius II. 1594. (i) Jacobi. I. Brit. Reg. Orat. I. Fol. 486. [k] Epist. ad Fam. Lib. VI. Epist. VI. 9. it. ad Attic. Lib. VII. Ep. 14 in Fin. (l) pro lege Manilia Cap. VI. (m) In bello Catil. Cap. LI. juxta alias LIII. p. m. 35. (n) Epistolar. Lib. II. Epist. XXVIII. Anton. à Bergis Abbati S. Bertini missa p. m. 101. Edit. Bas. 1558. Fol. [o] Conf. sis. Reinhardi Theatrum Prudentiæ elegantioris, Lib. V. Cap. XV. III. 15. seqq. p. m. 1644. seqq. (p) C. Svet. Tranq. in vita Octav. Augusti. Cap. 25. p. m. 55. (q) Lib. VII. Cap. II. 2. p. m. 304. (r) Sanfovinus de Dictis & factis Caroli V.







ar, secundum VALERIUM MAXIMUM. (q)
n temere gerenda, quoniam ex iis summa re-
latio prohibet, quominus omnia accurate cir-
to minus, consilia de pace deferenda, belloque
ada erunt, quod illis tranquillus Reipublicæ
m mutatur, incertoque præliorum eventui
r.

AAVEDRA, pro superbo suo Hispanis commu-
nios accusans, quod lenta consilia inique pro
indeque gravissime sæpius damno fuerint af-
s contra illum iudicibus tuemur, sententia no-
adhuc Augustissimis Romanorum Imperatori-
VIANUS AUGUSTUS Symbolo suo: Festi-
tutur. CAROLUS V. prudentissimo effato

*nimiam Consilii es, celeritatem executionis, utramque
ntiam essentiam boni Principis, (r) lenta consilia
stissimus denique CAROLUS VI. qui in hunc
t summus rerum arbiter Deus, adhuc diutissi-
i tenet, aliquot jam vicibus, se lenta pacis con-
orum remediis ante ferre, ipso facto demon-
id novissimæ ipsius cum Hispanis transactiones
n Germaniæ conservavit, cum alias periculo-
jam jam imminere visa, quod Hispanus, Gal-
atavus foedere juncti essent, latissime spargere*

jungam his, potentissimum Svecorum Re-
Hassia, FRIDERICUM: quem in itinere con-
ducat Deus, et ad Nestoreos usque annos super-
ub cuius umbra et tutamine alta pace fruimur.
regia virtutis et incomparabilis plane fortitudi-
lo adversus Gallos, dederit documenta, ex eo
um Diademate cinctus fuit, ex nominis omine
se præbuit.

agnoscamus felicitatem decet, quare cum ex
TERSENII, Actus quidam Oratorius publice
um visum fuit, discipulis præscribere, ut *de fe-
ipe bella consiliis remorante*, verba facerent. Tres
avenes, primæ Classis Alumni in hoc ingeni-
um